

iis, quae identificantur actu et virtute realiter; non autem si virtute distinguantur.

58. Objic. 2.^o Nequeunt esse realiter idem relationes quae habent terminos realiter distinctos. Sed Spiratio terminatur ad terminum realiter distinctum a termino Paternitatis et Filiationis: ergo non potest illa his identificari.

Resp. dist. *maj.* Nequeunt esse idem adaequate, seu tum ratione fundamenti et subjecti, tum ratione terminorum; conc. *maj.* Nequeunt esse idem in se, seu ut sunt res quaedam: nego. Sicut enim in simplici cogitatione est respectus ad Deum ut primam causam, ad intellectum ut causam secundam, et ad objectum ut cognitum; ita in simplici Spiratione, quae est ipsa Paternitas et Filiatio, sunt plures respectus. Maxime cum relatio divina sit quid eminens et infinitum, potest, ut una et simplex res, plures respicere terminos formaliter distinctos.

59. Objic. 3.^o Personalitates, quia identificantur cum essentia, non efficiunt quaternitatem sed solum Trinitatem: ergo a pari, quia Paternitas et Filiatio idem sunt cum Spiratione activa, non datur quaternitas relationum realium divinarum, sed trinitas tantum: ideoque haec thesis praecedenti opponitur.

Resp. conc. *ant.* et nego *consequentiam*, et paritatem. Nam Spiratio habet terminum realiter distinctum, tum a termino Paternitatis, tum a termino Filiationis: licet ergo non constituat cum illis relationem realiter distinctam, seu quaternitatem absolute, constituit tamen aliam relationem realem; distinctam virtualiter, ut res, et realiter quoad terminum.

60. Objic. 4.^o Paternitas et Filiatio sunt principium seu origo Spirationis activae: ergo debent distingui realiter ab illa.

Resp. dist. *ant.* Sunt principium per modum productionis; nego. Quatenus opus est ut relative subsistant Pater et Filius, seu ut sit Paternitas et Filiatio ad active Spirandum, sunt principium; conc. Spiratio activa, vel est simul cum Paternitate et Filiatione, in Patre ex ipsa perfectione essentiae, in Filio ex ejusdem communicatione; vel resultat in Patre et Filio ex oppositione ad Spirationem passivam; non tamen est producta, sed immediate fundata in actu infiniti amoris, cujus fecunditate, Spiritum Sanctum seu spirationem passivam producunt Pater et Filius.

CAPUT II.

De Divinitate et Unitate Divinarum Personarum.

ARTICULUS I.

Divinitas trium Personarum.

THESIS VIII.

Pater seu prima Trinitatis Persona est verus Deus.

51. Nota. Licet haeretici divinitatem Patris non fuerint directe inficiati, tamen hujusce dogmatis probationes nonnullas innuemus.

Prob. 1.^o Ex omnibus fidei Symbolis: «Credo in Deum Patrem »omnipotentem, creatorem coeli et terrae...»

2.^o Ait Christus (1): *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.* Et Petrus (2): *Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus Patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum... quem suscitavit a mortuis.* Et Paulus (3): *Benedictus Deus et Pater Domini N. J. C., qui benedixit nos in omni benedictione..., elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti...; qui praeordinavit nos...*

52. 3.^o Athanasius (4): «Age igitur, quae ad Patrem pertinent inspicimus... Aeternus est Pater, immortalis, potens, lux, »rex, omnipotens, Deus, Dominus, creator et effector.» Irenaeus (5): «Unus igitur et idem Deus, qui plicat coelum quemadmodum librum... qui temporalia fecit propter hominem, ut maturarescens in eis fructificet immortalitatem... qui a lege et prophetis »annuntiatus est, quem Christus suum Patrem confessus est. Ipse est autem fabricator, et ipse est, qui super omnia est Deus.»

53. Objic. 1.^o Pater nunc non regnat, et Filius non est ei subiectus, ut docet Apostolus (6). Ergo non est Deus.

Resp. Dist. seu explico. Non regnat, quatenus Regnum Christi completum non est, ideoque subiectione voluntaria homines Patri adhuc non subjiciuntur; conc. Quasi Pater potestate plena careat in omnes, etiam reluctantes; nego *ant.*

(1) Jo. XX, 17. — (2) Act. III, 13, 15. — (3) Ephes. I, 3-5. — (4) Orat. 1 contra Arian. n. 21. — (5) Contr. haeres. l. 4, c. 5. (Migne.) — (6) 1 Cor. XV, 24-28.

Item: *Filius non est ei subjectus*; quoad illam plenitudinem Regni sui, qua illud voluntarie subjectum Patri exhibebit; conc. Quasi Filius, ut homo, aliquatenus Patri non subjiciatur; nego.

54. Objic 2.^o Pater indiget Filio et Sp. Sancto, ut docet Irenaeus (1): «Non indigente Patre angelis, ut faceret conditionem, »et formaret hominem, propter quem et conditio fiebat...; sed habente copiosum et inenarrabile ministerium. Ministrat enim ei Filius et Spiritus Sanctus.»

Resp. Dist. Indiget *proprie*; nego. *Metaphorice*, propter unitatem virtutis, qua simul tres Personae ad extra operantur; conc. Nam quidem id significat Irenaeus dicens: *copiosum et inenarrabile ministerium*.

Inst. Pater non potest esse neque agere sine Filio et Sp. Sancto. Ergo est dependens et sibi insufficiens.

Resp. Nego *consequentiam*. Non enim est dependentia et defectus non posse eo carere, quod sibi ex perfectione convenit propriae naturae: hac sola de causa indiget Pater Filio et Sp. Sancto.

THESIS IX.

Filius seu Verbum, secunda Trinitatis Persona, est verus Deus.

55. Nota: haeretici omnes qui divinam negavere Trinitatem, neque Filii veram divinitatem professi sunt. Directe tamen hoc fidei dogma plures sectae, ab Ecclesiae exordio et deinceps, post protervos Judaeos, oderunt. Praecipue numerantur Arius et plures alii Arianismi coryphaei, qui in Filium Dei, ut Antichristi praecursores, blasphemarunt, et universum fere orbem erroris suis tenebris obscuraverunt, ita ut, dixerit Hieronymus (2): «Inge-muit totus orbis, et Arianum se esse miratus est.» Quidam Arianismum sectatores dicti sunt Semiariani, quod non omnes illius blasphemias proferrent, et *moderatione* aliqua uterentur, Filium Patri similem, ὁμοιόσιον, dicentes; non autem aequalem et consubstantialem, ὁμοούσιον. Inter Protestantes, Sociniani, aliique sectarii vestigia Arianorum secuti sunt, et, in praesenti ac elapso proximo seculo, turba omnis theistarum ac rationalistarum.

56. Prob. 1.^o Ex Nicaen. Syn. «Credimus in unum Dominum J. C., Filium Dei ex Patre natum unigenitum, id est, ex essentia Patris, Deum verum ex Deo vero.» Et Synodus Rom. sub Damaso: «Si quis non dixerit verum Deum Filium Dei, si-

(1) Supra, n. 10.—(2) Dialog. advers. Luciferos. n. 19.

»cut verum Patrem ejus, et omnia posse, et omnia nosse, et Patri aequalem esse, A. S.»

2.^o Joannes Ev. ait (1): *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*; καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. In quibus de Verbo, ut orationis subjecto, Deus absolute praedicatur. In quavis enim propositione subjectum est, quod magis determinatum exhibetur. Iterum (2): *Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus et vita aeterna*: ὁὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεὸς καὶ ζωὴ αἰώνιος. Apostolus (3) ait. *Vos Spiritus S. posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*.

Ex Vet. Test. vide testimonia, quibus in Tract. de *Deo Incarnato* probabimus Jesu Christi divinitatem.

57. 3.^o Ex Patribus Antenicenis vide apud Petavium copiam testimoniorum: aliqua tantum laudabimus. S. Ignatius M. (4) ait: «Deus noster Jesus Christus in utero gestatus est a Maria.» S. Irenaeus (5): «Quis Deus? De quo dixit; Deus manifeste venit, Deus noster et non silebit: hic est Filius.» Patres item Syn. Antiochenae (a. 266) damnarunt Paulum Samosatenum, divinitatis Christi osorem, et in *professione fidei* ajunt: «Confitemur Dominum Jesum Christum, ante secula ex Patre natum..., una dumtaxat Persona, ex coelesti divinitate et humana carne subsistentem; totum Deum et totum hominem.» Alexander, ep. Alexandriae, in ipso arianae haereseos ortu, Arianos tamquam haereticos damnavit ac *solos dogmatum inventores*; et testimoniis antiquorum PP. eosdem refellit, ut tradit Theodoretus, (6) ac S. Athanasius (7): «Ecce, ait, nos demonstramus vobis, nostram sententiam a Patribus ad Patres transiisse; vos autem, o novi Judaei, quos Patres... exhibere potestis? Nullum certo profertis; omnes a vobis abhorrent, praeter unum diabolium, qui nempe solus hujus vestrae defectionis pater et auctor extitit, vobisque primum impietatem hanc insemnavit.» Aliud insigne Patrum antenicenorum testimonium posteris tradidit Eusebius Pamphinus (8), qui nulli erit, in hac re, suspectus. Veteris esse auctoris catholici, quod affert fragmentum, ipse testatur: auctorem autem illum esse Cajum, presbyterum Romanum, asserit Photius (9). «Affirmant, ait A. ille, (haeretici) a Zephyrini temporibus, qui Victori successit, adulteratam fuisse veritatem »(inductam doctrinam divinitatis Christi). Ac fortasse id, quod di-

(1) Jo. Is.—(2) I Jo. V, 20.—(3) Act. XX, 28.—(4) Epist. ad Eph. c. 18.—(5) Contr. haeres. l. 3, c. 10.—(6) Lib. 1, c. 4, hist. eccl.—(7) De Decret. Syn. Nicae. n. 27.—(8) Hist. Eccl. l. 5, c. 28.—(9) Biblia c. 48.

»eunt, credibile videretur, nisi eis refragarentur primum quidem »divinae Scripturae, deinde fratrum quorundam scripta, Victoris aetate (an. 185) antiquiora, quae illi adversus gentes et contra sui temporis haereticos pro veritatis defensione scripserunt: »Justinum intelligo, et Miltiadem et Tatianum et Clementem. aliosque quamplurimos; in quorum omnium libris »Christi divinitas adstruitur. Nam Irenaei quidem et Melitonis et reliquorum scripta. quis est qui ignoret, in quibus Christum Deum simul et hominem praedicantur? Psalmi quoque et »cantica fratrum, jam pridem a fidelibus conscripta, Christum Verbum Dei concelebrant, divinitatem ei tribuendo. Cum igitur tot »abhinc annis ecclesiastica doctrina praedicata sit, qui fieri potest, »ut omnes usque ad Victoris tempora eam, quam isti dicunt, »doctrinam promulgaverint? Quomodo eos non pudet hujusmodi »calumniam adversus Victorem concinnare, cum certo sciant, »Theodotum coriarium, qui defectionis illius Deum abnegantis patrens et auctor fuit, primusque Christum nudum esse hominem asseruit, per Victorem a communione Ecclesiae ejectum esse? »Nam si, ut ajunt, Victor eadem sentiebat, quae illorum docet »impietas, cur Theodotum haereseos illius auctorem ab Ecclesia »removit?»

Haec sufficiant ad Patrum antenicaenorum mentem dignoscendam; nam quae fuerit, post Nicaenam Synodum, Patrum Ecclesiae mens nullus dubitare potest.

58. Objic. 1.^o Christus dixit: *Pater major me est* (1). Sed si Filius esset verus Deus non esset Pater major: ergo Filius non est Deus.

Resp. Dist. *min.* Si Filius esset Deus et non homo, Pater non esset major; conc. Si est Deus simul et homo; nego *min.* Nam Pater est major Filio *ut homine* seu quoad *formam servi*, ut loquitur Apostolus.

59. Objic. 2.^o Ipse Christus confessus est, non nisi improprie et more aliorum hominum se esse Deum (2): *Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est...; quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemus; quia dixi, Filius Dei sum?*

Resp. Nego assertum. Christus rejecit accusationem blasphemiae; hoc autem duplici modo prestare poterat: 1.^o dicendo, se improprie et metaphorice Deum dicere; (ut contendunt haeretici). Verum hoc nec dixit Christus, neque intellexerunt Judaei, qui illius audito responso, *quaerebant eum apprehendere et exivit de manibus eorum.* 2.^o Dicendo generatim; non statim esse blasphemum,

(1) Jo. XIV, 28.—(2) Ibid. X, 35, 36.

mum, qui se Deum esse dicat; sed id pendere a *ratione* juxta quam Deus dicatur, quemadmodum ipsa Scriptura Deos homines aliquos appellavit, quin propterea blasphemaret. Si ergo Christus, non secundum humanam naturam se Deum dixerat, ut fingebant Judaei; *Homo cum sis, facis te ipsum Deum*; sed secundum aliam *veram rationem*; blasphemus non erat.

Qua autem ratione se Christus Deum esse dixit? Est haec prorsus alia quaestio. Certe se Deum esse dixit: Judaei ita intellexerunt, indeque eum lapidare ut blasphemum voluere. *Qua autem ratione* se Deum dixit, potuit Christus vel tacere, vel aperte dicere, vel confuse insinuare, prout illius prudentiae congruebat secundum rerum adjuncta.

60. Dico igitur 1.^o Christus aperte protestatus est, se specialiori modo esse Deum et potiori ratione, quam illi, quibus dictum est, *Dii estis vos*; ut patet, ex verbis in objectione citatis.

Dico 2.^o Aperte item dixit Christus, se *unum* esse cum Patre, unam habere cum eo potentiam (w. 29, 30). Ut autem haec tam ardua crederent, ad opera et miracula, quae nomine Patris faciebat, eos provocavit.

Dico 3.^o Implicite quoque dixit Christus, hanc *unitatem* esse unitatem essentiae: *Pater in me est, et ego in Patre.*

Quod si Christus in iis rerum adjunctis *specialem* illam non explicuisset rationem, qua se Filium Dei, Deumque dicebat, non ideo jure posset deducere haereticus, improprie Christum esse Deum.

61. Objic. 3.^o Unitas Christi cum Patre talis est, qualis ea, qua nos cum illo et ad invicem unum sumus (1); ergo nequit verus esse Deus.

Resp. dist. *ant.* Unitas Christi, *quatenus hominis*, cum Patre, talis est... Conc. *ant.* Christi unitas, *quatenus Deus est*... nego *ant.* vel subd. Talis est per quamdam analogiam; conc. Proprie; nego.

Nam unitas nostra cum Christo, ita comparari etiam potest ad unitatem Christi cum Patre, sicut perfectio nostra ad perfectionem Patris (2).

62. Objic. 4.^o Ex antenicaenis PP. aliqui, ut Justinus, Irenaeus, Tertullianus, etc. dicunt Filium ministrum esse Patris, minorem, instrumentum, et alia ejusmodi. Sed haec nequeunt de vero Deo dici: ergo Filius non est verus Deus.

Resp. Dist. *maj.* Haec dicunt, ut explicent originem Filii a Patre; conc. *maj.* Ut indicent distinctionem aut differentiam naturarum; nego. Sic Justinus (3) exponit genuinum illarum vocum sensum: «Propheticus sermo, *Pluit Dominus ignem a Domino de coelo*,

(1) Jo. XVII, 21.—(2) Matth. V, 48.—(3) *Dialog. contr. Triph.* n. 128, 129.

»duos numero esse declarat; alium quidem in terra (Filius); alium
»autem in coelis, qui et illius in terra apparentis Domini Dominus
»est, *quatenus* Pater et Deus, qui ei praestat, ut et potens sit et Do-
»minus et Deus.» Identitatem autem essentiae perspicue declarat:
»Virtutem illam ex Patre genitam, virtute et voluntate ipsius, non
»vero per abissionem, quasi Patris substantia divideretur.»

63. Objic. 5.^o De Sapientia, quae est Filius, dicit Scriptura (1):
*Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo... Ab initio et ante se-
cula creata sum. Dominus creavit me in initio viarum suarum.....
Ante colles ego parturiebar.* Ergo Filius est creatura.

Resp. Dist. *maj.* Dicitur Sapientia creata, quatenus carnem as-
sumpsit; conc. Secundum se; nego.

Inst. Dicitur etiam de Filio (2): *Ego ex ore Altissimi prodivi, pri-
mogenita ante omnem creaturam. Imago Dei invisibilis, primogeni-
tus omnis creaturae.* Et Paulus (3): *Ipsa Primogenitus in mul-
tis fratribus.* Sed non esset Primogenitus inter creaturas, nisi crea-
tura esset: ergo filius est creatus.

Resp. Dist. *maj.* Quatenus Filius carnem assumpsit, et sic inter
creaturas adnumeratus est; conc. Simpliciter et secundum se, dicitur
primogenitus omnis creaturae; nego. Sic SS. Patres interpre-
tantur.

SCHOLION.

Ultima proposita objectione, frequentissime impetebant haeretici
Filii Dei divinitatem: ideo traditam explicationem paucis confir-
mare peropportunum videtur.

§ I.

De Filio Sapientia.

64. Illas S. Scripturae sententias, quibus creata significatur di-
vina Sapientia, intelligendas de Verbo *incarnato*, major pars Pa-
trum Graecorum et Latinorum censuerunt. Epiphanius enim, (4)
dicit: «hanc esse explicationem magnorum Patrum.» Hierony-
mus (5) autem de his, qui aliter interpretari conantur, ait: «Mul-
»ti, ne Christum creaturam dicere compellantur, totum Christi
»mysterium negant, ut dicant, non Christum in hac Sapientia, sed
»mundi sapientiam significari: nos libere proclamamus, non esse

(1) Eccli. XXIV, 12, 14; Proverb. VIII, 22, 25.—(2) Eccli. XXIV, 5; Colos. I, 15.—(3) Rom. VIII, 29.—(4) *Haeres.* 9, n. 24.—(5) In Ep. ad Eph. c. 2, v. 11; et c. 4, v. 24.

»periculum eum dicere creaturam, quem vermem, et hominem, et
»crucifixum, et maledictionem, tota spei nostrae fiducia, profite-
»mur: maxime cum ex duobus versiculis qui praecedunt, ipsa Sa-
»pientia promittat se esse dicturam quae post secula sunt.»

Inferius autem, et alibi saepe, ad eandem redit interpretationem:
«Haeresis nativitatem Christi calumnians, Salomonis usurpat exem-
»plum: *Dominus creavit me initium viarum suarum.* Consideran-
»dum igitur, quia creatio atque conditio numquam nisi in magnis
»operibus nominentur... Ex quo animadvertendum istum novum
»Hominem, qui juxta Deum in Christo creatus est, magnum Dei
»opus esse, et eminere ultra ceteras creaturas: quum sic conditus
»esse dicatur, ut mundus, et initium viarum Dei, et in exordio ele-
»mentorum omnium sit creatus.»

65. S. Athanasius confirmat (1): «Neque enim Dei Verbum
»res est creata, sed creator ipse: tunc autem proverbii instar ait,
»*Dominus creavit me*, cum creatam induit carnem, ut etiam ex hoc
»ipso loco potest intelligi. Tametsi enim Filius est et Deum habet
»Patrem, cum proprius ejus sit fetus; tamen Patrem hoc in loco
»dominum appellavit, non quia servus esset, sed quia servi for-
»mam accepit... Cum opus venit absoluturus et servi formam ac-
»cepit; Patrem Dominum dicere, eum omnino decuit.»

In Constitut. Apost. Clementis, (2) legimus: «De eo etiam
»(Christo) et ejus persona, dicebat Salomon: *Dominus condidit
»me principium viarum suarum...*»

§ II.

De Filio Primogenito.

66. Cum autem Dei Filius dicitur Primogenitus omnis creatu-
rae, id ad illius spectare Incarnationem gravissima suadent argu-
menta. Concilium gener. Sardicense, in ep. *synodica* ait:
»Confitemur item, et unigenitum et primogenitum: sed unigenitum
»Verbum dicimus, quod semper fuit et est in Patre; primogenitum
»autem, quantum ad hominem; sed tamen differt a creatura com-
»muni, quoniam et primogenitum a mortuis confitemur unum
»esse Deum.»

Athanasius et Syn. Alexandrina epistolam *Synodicam*
ad Synodum Antiochenam miserunt: in illa autem epistola,
quam PP. Antiochenses cum Eusebio Vercellensi subscripserunt,
eodem intelligunt sensu Primogenitum esse Filium Dei:

(1) Oratio 2, *contr. Arian.* n. 50.—(2) Lib. 5, c. 20.

«Cum vero Filius Dei esset, factus est et filius hominis: cumque
»Unigenitus esset Filius Dei, factus est ipse Primogenitus in mul-
»tis fratribus.»

67. Quam accepta etiam apud Latinos erat haec Primogeniti in-
telligentia facile patebit. Eusebius Vercellensis, ab exilio ad
patriam reversus, scripsit *Confessionem de Trinitate* (1), in qua, sub
n. IV. ait: «Hic autem qui ante secula Unigenitus est vocatus spi-
»ritualiter, Primogenitus est factus. Unigenitus propter Divinita-
»tis substantiam: Primogenitus propter assumptae carnis natu-
»ram.»

Gravissimis verbis docet Augustinus, ex fide catholica de-
sumi hanc Primogeniti interpretationem, nec aliter intelligi posse
(2). «Itaque cum et unigenitum et primogenitum eum divina
»testentur eloquia; unigenitum, quia sine fratribus; primogenitum,
»quia cum fratribus: non invenies quomodo utrumque de illo se-
»cundum eandem naturam divinitatis intelligas. Fides vero catho-
»lica, quae inter creatorem, creaturamque distinguit, nullam pati-
»tur in his duobus nominibus intelligendi difficultatem: Unigeni-
»tum eum accipiens, secundum id, quod scriptum est; *In principio*
»erat Verbum... Primogenitum autem omnis creaturae, secundum
»id... *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.*» Deinde, cap. 7,
ait: «Perspicis itaque jam... ut Jesus Christus et unigenitus sit,
»secundum id quod Verbum Dei est... et primogenitus omnis crea-
»turae, secundum id quod in ipso condita sunt omnia, in coelis et
»in terra, visibilia et invisibilia. Agnoscis, ut opinor, verba Apo-
»stoli ad Colossenses.»

Patres Conc. Tolet. XI. (3) hanc Unigeniti et Primogeniti
interpretationem iisdem professi sunt verbis, quae supra retulimus
ex *confessione fidei* Eusebii Vercellensis.

§ III.

Baronii opinio rejicitur.

68. Nota: Baronius in dubium revocavit partem illam Epis-
tolae Synodicae Concilii Sardicensis, in qua de fide agitur.
Verum levi ductus est fundamento; nempe quia testatur Athana-
sius (4) Sardicense nihil addidisse fidei Nicaenae, et tabellas
quasdam de fide, quae circumferebantur, spurias esse declaravit.
Jam vero ut legitime ex his possit concludi, spuria esse quae de

(1) Migne, 7, 12, n. 959. — (2) L. *contr. Secund. Manich.* c. 5. — (3) In *Symb. Fidei.* — (4) *Epist. ad Concil. Antiochen.*

fide habentur in litteris synodicis Conc. Sardicensis, oportet probare, vel quod tabellae illae, ab Athanasio rejectae, aliquid simile referebant, ita ut, uno rejecto, aliud necessario rejiciendum sit; vel quod nihil voluerit Sardic. Concilium declarare, exponere, confirmare circa fidem nicaenam, nihilque ex erroribus eidem fidei oppositis rejicere. Jam vero primum nulla ratione nititur; secundum est aperte falsum.

79. Primum quidem nulla inniti ratione, patet: quid enim illae continerent tabellae nullus refert. Imo perspicuum videtur, tabellas illas novum aliquod Symbolum exhibuisse, cum passim Ariani nova cuderent symbola ad fidem nicaenam obscurandam; ita ut 19 annorum spatio ediderint 14 fidei formulas, quarum aliquae nihil aliud prae se ferrent erroris, nisi quod sacram vocem ὁμοουσίον praetermitterent. Jam vero aliquem hujusmodi spurium Symbolum tabellas illas retulisse, ex adjunctis, videtur perspicuum. Nam ait Athanasius: «Synodus Sardicae coacta... sancivit, ut nullum unquam de fide ederetur rescriptum, sed sufficeret fides a Patribus Nicaenis promulgata, quippe quae in nullo deficeret, sed plena pietatis esset, statuitque ne altera ederetur fidei professio, ne, quae Niceae conscripta fuerat, imperfecta reputaretur, neve occasio iis daretur, qui saepe numero de fide scribere ac definire volunt.» Nonne haec aperte supponunt agi de novo symbolo? Eusebius Vercel., subscribens huic Synodicae epistolae, dixit: «Ne per illam (fidei professionem, quae in tabellis tradebatur) Nicaena fides exclusa videatur, neque praeferendam eam esse sentio.» Manifestum ergo est, quod de novo agebatur fidei symbolo.

80. Secundum vero, scilicet, noluisse Synodum Sardicensem, fidem exponere, confirmare, errores vel falsas interpretationes rejicere, est aperte falsum. Nam, praeterquam quod hoc nolle et prohibere esset contra omnem rationem, cum Ariani errores spargerent et fidem ubique falsis argumentis obscurare conarentur, illud ipse Athanasius et Alexandrina Synodus fecerunt in iisdem illis literis Synodicis, in quibus tabellae spuriae improbantur: Eusebius, qui subscripsit, deinde tradidit *Confessionem de Fide Trinitatis* (1), fidem exponens, defendens et plures solvens difficultates. Praeterea ipsum Sardicense Conc., in litteris synodicis ad Julium Rom. Pontificem, testatur, *ante omnia de sanctae integritate veritatis* egisse: «universa, ajunt, quae acta, quae constituta sunt, et chartae continent, et vivae voces charissimorum... nostrorum Archidami etc. exponere poterunt.»

(1) Migne, t. 12, p. 959.
THEOL.—Tom. II.

81. Oportet igitur stare testimonio Theodoret, Sozomeni, Vigilii ep. Tapsen. (*contr. Eutich.* l. 5), qui literas illas synodales Conc. Sardicensis, cum omnibus spectantibus ad fidei confirmationem et declarationem et errorum reprobationem, ut veras et genuinas tradidere. Pretiosum ejusmodi et antiquissimum documentum, ab illo generali Concilio, quod Nicaeni pars et complementum reputatur, traditum, magno est doctrinae theologiae subsidio, praecipue in his, quae ad divinam Trinitatem et Incarnationis mysterium referuntur.

THESIS X.

Spiritus Sanctus, seu tertia in divinis Persona, est verus Deus.

82. Nota. Praeter Arianos, qui sicut Filio Dei ita et Spiritui Sancto divinitatem negarunt, Macedoniani, ab haeresiarcha Macedonio seu Pneumatomachi, ab errore suo sic nuncupati, Spiritum S. esse puram creaturam, ore blasphemum, docuerunt.

Prob. 1.º Ex symb. fidei Conc. Const. I. «Credo in Spiritum Sanctum, Dominum, et vivificantem, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur.» Et in Syn. Rom. sub Damaso, Can. 3: «Anatematizamus Arium atque Eunomium, qui, pari impietate, Filium et Spiritum S. asserunt esse creaturas.» Et can. 16: «Si quis non dixerit, Spiritum Sanctum esse verum Deum.» A. S.»

83. 2.º S. Petrus (1) dixit: *Anania, cur tentavit Satanam cor tuum, mentiri Spiritui Sancto? Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Perspicuum est, non potuisse id a Petro dici cum aliqua exaggeratione, cum Deus subito mendacium morte subita punierit, ideoque, quasi sententiam proferens, judicaverit Petrus Ananiam.

Insuper; dixit Paulus (2): *Divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus... Haec autem omnia operatur unus idemque Spiritus, dividens singulis prout vult.*

Item: qui loquebatur in prophetis erat Deus; *Olim Deus loquens patribus in prophetis.* (3). Jam vero fuisse Spiritum Sanctum loquentem in prophetis, docet Petrus (4): *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Sp. Sancto.*

84. 3.º Aequali honore dignus est Spiritus S. cum Patre et Filio: ergo est verus Deus. Ant. pr. a) Ex forma baptismi: *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Sp. Sancti.* b) Non solum Pater

(1) Act. V, 3. — (2) I Cor. XII, 6, 11. — (3) Hebr. I, 1. — (4) II Petr. I, 21.

et Filius (1), sed etiam Spiritus S. tamquam in templo habitat in nobis et honoratur (2): *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti? Glorificate et portate Deum in corpore vestro.* Atqui templum habere et in eo glorificari est Dei proprium. c) Difficilius dimittitur blasphemia in Spiritum S., quam in Christum: ergo non minori honore ac reverentia dignus existit.

85. 4.º Augustinus ait (3): «Spiritus Sanctus, quod cum magno honore de Deo dictum est, non in manufactis templis habitat, sed corpus nostrum templum est Spiritus Sancti. Et ne corpora nostra contempnas, membra sunt Christi. Qualis ergo Deus, cui templum aedificatur, et a Deo, et de membris Dei?»

S. Basilius (4): «Templum autem omne Dei templum est; quod si templum sumus Spiritus Sancti, Spiritus Sanctus Deus est.» S. Cyrillus (5): «Natura et essentia Spiritus Sanctus Deus est, quoniam qui ipsum suscipiunt, dii per gratiam efficiuntur.» Gregorius Thaumaturgus (6): «Unus Spiritus Sanctus, imago Filii perfecti perfecta, sanctitas, sanctificationis suppeditator. In quo manifestatur Deus Pater et Deus Filius... Trinitas perfecta, quae gloria et aeternitate, ac regno atque imperio non dividitur, neque abalienatur. Non igitur creatum quid aut servum in Trinitate.» Alii Patres libros ediderunt ut divinitatem Sp. Sancti adversos haereticos defenderent; uti Athanasius, Basilius, Gregorius Nys., Ambrosius, Dydimus Alex. cujus librum *de Sp. Sancto* vertit Hieronymus, etc.

86. Objic. 1.º Apud Amos (7) dicitur Deus; *creans Spiritum:* ergo Spiritus non est Deus. Resp. Non agitur ibi de Sp. Sancto, sed de vento, uti et in Vulgata legitur.

Inst. *Omnia per ipsum (Verbum) facta sunt* (8): Ergo et Spiritus S. est factus. Resp. Dist. *maj.* Omnia, quae facta sunt, per Verbum facta sunt; conc. Illa etiam, quae non sunt facta, ut Pater et Sp. S.; nego. Hic est sensus verborum Joannis, ut ex contextu patet.

Objic. 2.º Ait Paulus (9): *Spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt.* Ergo nequit esse Deus Spiritus Sanctus in prophetis loquens. Resp. explico *antec.* Animi inspirati prophetarum; conc. *ant.* Ipse Spiritus S., animos inspirans prophetarum, est iis subjectus; nego.

87. Objic. 3.º Scriptura passim solum Patrem Deum appellat, ut distinctum a Filio et Sp. Sancto; Ecclesia in suis precibus ad Deum Patrem deprecatur, ut in praeis liturgiis patet, non vero ad Sp. Sanctum. Ergo non videtur esse Deus.

(1) Jo. XIV, 23. — (2) I Cor. VI, 19, 20. — (3) *Contr. Maximin.* l. 2, c. 3. — (4) *Epist.* 8, n. 11. — (5) *Thesaur.* l. 13, c. 1. — (6) *Exposit fidei.* — (7) IV, 13. — (8) Jo. I, 3. — (9) I Cor. XIV, 32.